Manugiewicz Oratio lugubris
(1779)

http://rcin.org.pl

http://rcin.org.pl

5

7378.

ORATIO
LUGUBRIS
Ab Eò
Qui peccatum non fecit pænam peccati per crucem ſolutam
DECLARANS.
More autem Academico
Ad Tumulum reconditi Servatoris in Inſigni Collegiata Zamoſcenſi coram numeroſa Illuſtriſſimorum Hoſpitum corona
Per
M. JOANNEM NICOLAUM MANUGIEWICZ
AA. LL. & Philoſohpiæ Doctorem in Alma Univerſitate Zamoſcenſi Pòéſeos Profeſſorem.
RECITATA.

Anno Reparatæ ſalutis 1779 *Die* 2 *Aprilis*.
Typis Univerſitatis Zamoſcenſis.

Fundacji im. J. I. Michalskich
Ze zbiorów
7378
http://rcin.org.pl
XVIII.2.1060

PERILLUSTRI REVERENDISSIMO
DOMINO
JOANNI CANTIO
BOZYDAR
PODHORODENSKI.
JURIS Uq; DOCTORI
Ecclesiæ Cathedralis Luceoriensis
ARCHIDIACONO
in Poryck & Ostrów
PRÆPOSITO
Diœcesis Luceoriensis
OFFICIALI
Generali, & in Spiritualibus
VICARIO
ſuo PROTECTORI Ampliſſimo
in devinctiſſimi obſequii argumentum
Idem qui ſupra
OFFERT.

http://rcin.org.pl

PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE PROTECTOR AMPLISSIME.

PRopensissimæ voluntatis meæ haud poteram temperare vires, quin TIBI PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE PROTECTOR AMPLISSIME *Tuoq; excelso Nomini exiguam mole sua opellam cum profundissimo cultu offerrem, dedicarem. Neq; in nuncupando hoc opere non modo intemperanter me quispiam egisse, verùm etiam optimè meis consuluisse rebus censebit omnino, fatebitur. Enimvero si nullam nobilioris gloriæ famam accessuram ex illo mihi meritò sperare poteram, poteram tamen vel maximam si* TIBI *hoc obsequii munus consecrarem. Quid enim est?* TIBI PROTECTOR AMPLISSIME *hoc laboris opus offerre, si non offerre Viro quem Nominis celebritas præstantissimum, præclara virtus & insignis eruditio summis parem nemini secundum effecêre. Nihil enim pretii nihil æstimationis, nihil laudis haberi potest, quod illis non tribui æquissimo jure non debeat, adeò ut si per celebre Nomen tuum (quod nisi Ecclesiæ & Patriæ proficui vendicabant Viri) alto præteriissem silentiò, Virum tamen æqui assertorem justissimum, moribûs gravem, pieante illustrem, consiliò maturum, mansuetudine jucundum, non inter-*

http://rcin.org.pl

rupta virtutum omnium societate versatissimum, quem ad dignitates non popularis evexerat aura, sed uberrima meritorum extulerat copia, si talem inquam efformassem mihi, omnes & singuli tacito divinitatis afflati murmure TE PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE *ostenderent, indicarent. Universi quippe tam ardenti exinde feruntur in* TE *voluntate, ut hi ex sublimitate ingenii, illi ex dexteritate animi, hi ex virtute illi ex eruditione, suum esse profitentur libentissime, venerantur maximopere. Hinc etsi à Majoribus Tuis præstantissimè gestorum amplitudine, claris Illustrissimum Agnomen* BOZYDAR *nunquam in* TE *profluxerit, tamen singuli qui rerum magnarum domicilium in* TE *conspiciunt, communi votorum sensu* DONUM DEI *apellarent, promulgarent. Ecquid ego* TE PROTECTOR AMPLISSIME *encomiis extollere cupio, Qui laudari non possis, cum sis supra omnem laudem, & satius laudi quidpiam adjicere valeas* TIBI *laus nihil. Quod si ita est fortunatam & honorificentissimam agnosco me nancisci sortem, cùm primum laboris florem* TIBI PERILLUSTRI REVERENDISSIMO DOMINO *devovendum duxi. Excipe eum benigno pro innata benevolentia sinu, ab illo qui* TE *uti & virtutibus & meritis cumulatissimis diu onustum Præsuleo justè fulciri Pedo comprecatur.*

PERILLUSTRIS REVERENDISSIMI
DOMINI Protectoris
Amplissimi

Devinctissimus Servus
M. J. N. Manugiewicz
AA. LL. & P. D P. P.

http://rcin.org.pl

ORATIO.

FUneſto & lugubri rerum apparatu ita cujusvis animum adaptatum eſſe exiſtimo A. M. ut nihil quispiam moliatur, nihil cogitet ac dicat, quod aut acerbiſſimorum cruciatuum, aut nefarii obitûs Servatoris noſtri memoriam non præſeferat, non manifeſtet. Quæ fama non idcirco crebra inter cre-

http://rcin.org.pl

credentium cætum emanârat voce, quod hic crudelissimæ addictus sit morti, sed quia tanta, tamq; pudenda in se pertulit is, quem nemo nisi audax, nisi sceleratus, nisi nefarius, non modo innocentem verùm ipsam innocentiam nuncupare ambigeret, dubitaret. Est enim Idem Servator noster, qui sicut ad audendum crimina impar, ita ad audiendum improborum Judicum sententiam, ad perferendum exasperatos vulgi cruciatus paratissimus, & quantùm illius ferociâ imbutus laborabat animus ut noceret, tantùm istius deludabat bonitas ut sustineret, ita ut quivis in judicando suspensa teneretur cogitatione, majorne dementia injustis incussantium querelis ut obesset, num illius ardore succensa voluntas ut prodesset. Est idem Servator noster, cujus sanctitatem loquebantur exempla, omnipotentis brachii dexteritatem spirabant miracula, ex toto membrorum vestitu humanitas non sine socia erumpebat Divinitate, qui licèt homo, immunis tamen à culpa, licèt Deus Homo non tamen alienus à pæna. Proh Deûm hominumq; Fidem! tuamne innocentissime Servator in tam ludicro discrimine causam agitari video? qui ab omni sceleris turpitudine immunis, quia Flius Dei Unigenitus, Sanctus quia Divinitatis mundissima Imago, Innocens, quia sublimis gloriæ splendor, Tene omni genere ignonimiæ affectum, malevolò exogitatis aninò acerbitatibûs pænarum excruciatum ultimò supplicio condemnari video? O admirabile prodigium! & vel ex eo admirabilius cum simile nec antiquitas viderat, nec posteritas satis admiratur, admirabiturq;. Huccine jam reciderunt omnia, ut ille Servator in media Civitate in qua Sanctissimæ doctrinæ spargebat semina, exutus Purpurâ, ab illis quos beneficiis affecerat, dulci libertatis nomine denârat, in

dies

dies paverat, is in medio foro deligatus virgis cæderetur, ut ubi recens amoris clamitat ſtimulus ibi impudentis audaciæ pateat temeritas! Huccine reciderunt, ut ille Rex potentiſſimus qui in æterno reſidet ſolio, hodie in ignonimioſæ crucis appendatur patibulo! Ita eſt, ita ſine dubio A. M. Ea hic res in mediū adducitur, ducitur Chriſtus ad ſupplicium eſto innocentiſſimus, ut non condemnemur nocentiſſimi. Qui ſi immunis probroſam mortis evaſerit pænam, actum actum jam de ſalute noſtra, nec unquam ſpes affulgere poteſt, ut felicem nobis intueri liceat Patriam. Quæ quia anguſtiora ſunt, debilitant vires tenuis Orationis meæ, quod ſi uberius luculentiusq; ea ſibi dici præſtolemini, ſinite me fungi partibus demandatæ provinciæ. Statuit Omnipotentis Dei dextra ne utiquam impunitam primi Parentis relinquere culpam, ſed cum nec virium facultas, nec exſolvendi ſuppeteret ratio, tenerrimo permotus dulcis Salvator noſter amore, id oneris explere intendit. Paſſus eſt Chriſtus eſto non debuit, debuit homo ſed non potuit, non ſatis fecit ergo homo, quia non potuerat, voluit tamen, & ſatis fecit Chriſtus, eſto non debuerat. Quæ omnia ſicut in ipſo aditu rudi & inculto exponuntur ſenſu, ita ſi & in ulteriori progreſſu eodem non deficient, dabitis veniam. Difficile difficile mehercle quærere verba, ubi dolor & gemitus extorquent lacrymas.

Tametſi illa fuerit recta (adeoq; juſtiſſima) judiciorum ſeries, hic diſcernendi, criminandiq; modus, & legi, & æquitati apprime conveniens, ut integritas illius neminem non modò in crucem tolli, quò minùs enormiter cædi, imo etiam vel levi & exiguo calamitatis genere obrui minimè patiatur, quem criminis veritas non convincit, faſtidioſa ſimulatio præcipitem non agit, quinimo innocens vitæ ratio, ab omni

mali-

malignæ suspicionis turpitudine insontem reddit, tamen im manis Judæorum crudelitas in hoc eminere voluit, quod justissimis Judicibus peregrinum, iniquissimis commune. Illumq; procedendi modum quem aliæ barbaræ exosum detrectarunt gentes, illum in sinu suo & fovet crudeliter, & exequitur crudelissime, cum reum sine crimine, crimen sine accusatore damnat sine defensione, criminatur sine consilio, verbo DEUM Hominem. DEUM qui omnem peccati detestatur umbram, Hominem, qui non modo in illa non complacuit sibi, verum nec complacere poterat, acerbissimo destinat supplicio. Æstimate, æstimate harum rerum pretia, revolvite momenta, & quem in hac infelici hæsisse sorte nec à Vobis existimatum erat, nec existimari debuerat, eundem non sine ingenti vestro comperietis mærore. Dicam eum hominem innocentem quia ab omni peccati labe immunem, verè sanctum, ut pote sanctitatis authorem, & adeò cumulatæ sanctitatis, ut præ illa & nominari, & esse Servator noster meruisset. Dicam eum universi hominum generis Servatorem, qui cum turpem peccati maculam exterminari decreverat, illius funesto vinculo etiam aliquantùm teneri omnino non poterat. Non bene enim aliena protegit, qui non custodit sua. Et non delet aliena vel minima, qui suo non medetur crimini. Dicam Eum DEUM Hominem, & jam satis dixi, cùm non tantùm sublimis Spirituum Cælestium animus, sed etiam Ipsius Omnipotentis DEI infinita sapientia quidpiam magis sanctum, magis religiosum, magis Divinum complecti mente nequiverat. Si etenim (quod nefas est dictu) aut homini ab omni culpa alieno, aut Servatori nostro quidpiam labis accessurum fuisset, illud summa & perfectissima Deitas tempestivo maturi consilii oraculo

culo

http://rcin.org.pl

culò impedîsset propulsasset. Quæ ut pote omnium perfectionum cumulus quis crederet ut alicui obnoxia foret peccato? Odit hoc, odit æternè illius Divina Sapientia, quam minimè latuit, ob id præstantissimum dexteræ suæ opus (hominem scilicet) perditum iri, odit Bonitas quæ prout universæ virtutis fons est & origo in exhausta, ita cùm adversùs omne malum, tum in id quod supra malum est infensum gestat animum. Conquire immensum perfectionum cumulum, cumulum qui omnem longè superat intellectum DEUM cogitas, appinge vel modicam peccati labem, jam non DEUM sed quidquid pessimi est contrectas animò, Tanta enim illius est vis atq; conditio ut cunctas etiamnum immensas absorbeat in se virtutes, vel minimum verò vitii dedecus abominetur, execretur. Vos, vos ego jam appello judices perfidæ Judæorum turbæ! vos Scribæ, vos Pharisæi, dicite & ingenue fateminor, adstrinxitne se vel tenui unquam culpæ Servator noster? egitne quidquam vel honori DEI injurium, vel hominum æquitati adversum, cujus nunc causà teterrimè agitatur? An sacrilegꝰ inter vos audiit? quia & summꝰ Sacerdos & tutor sacrorum acerrimus, an insolentis vulgi perturbator? quia ejus effusam compescebat licentiam, ardentesq; tumultibûs sedabat animos, an sceptri ambitione tumens? quia Regnum suum non de hoc sæculo esse fatebatur, an flagitiorum colluvies? quia nemo Eum de peccato arguere poterat. *Verè insurrexerunt contra Eum testes iniqui & mentita est iniquitas sibi*, & quem ab omni culpæ suspicione remotissimum verba, & opera, commonstrabant,. Eundem furore incensa malitia condemnari sacrilego ausu laborabat, qui nullum etiam minimæ culpæ dederat vestigium, Eum pænæ dederat,

 impi-

impietas, suspendit, affixit. O! scelus portentosum crudelis Judæorum malitiæ, quæ non jam iustò sed impiò ac nefario trucidasti Servatorem consiliò. O! Sancte Universi Moderator, *utique qui intelligis à longè* intueris Unicum Filium tantis affici injuriis, provocari convitiis, saturari opprobriis: Eripe Eum potenti brachii tui consilio! frange inveteratam Judæorum malitiam! & non sinas illudere Ei plebem perditam, Cujus es æterna generatione Æternus Pater qua Dei, Illius sis modernò auxiliò in tempore Pater qua hominis, terreatur vesanus gentis perfidæ furor, hæc Christum cum videns Hominem non veretur, ergo Christum cum noverit DEUM, superbas flectens cervices veneretur. Verùm quis responsi clangor? quæ stupenda audio? non eripiam subjicit Divinus Pater, arbor agnoscat arida quanta subire debet, si viridis funestos severitatis ictus patitur. Ergone Genitor dilectissime innocens Agnus luporum teretur dentibus? teretur, calicem qui adeò amarus ad ima exhauriet? exhauriet. Jacta alea est subdit Cælestis Pater, innocens pro nocente, justus pro injusto peribit, perfundetur cruore, non quia debuit, quoniam non deliquit, sed quia voluit quoniam dilexit.

Non est humano consiliò nec mediocri Divinò res illa peracta A.M. quod dum innocens Christus nullius unquam probri compos extiterit, tantam nihilominus, tamq; prægrandem acerbitatum pertulerit molem, ut in infligendis potiùs atrocissimis vulneribus effrenata Judæorum lassari crudelitas, quam dulcissimi Servatoris in tuenda salutis integritate decrescere ardor videretur. Verberatur enim crudelissimè effrenata rabie excogitatis flagellis, & ad dilacerandum corpus Sanctissimum nova arte, arte quam im-

manis

http://rcin.org.pl

manis suggesserat barbaries inventis, fabricatis. Cæditur innumerabili pene ictuum serie à tortoribus non minus virium robore quam immanitate præditis. Dilaniatur sævissimè, & in integro corporis situ non jam multa sed ferme infinita gestat vulnera. Durum sane est quempiam sceleratorum more ullius conscium labis vinciri, vincitur innocens Servator. Durius insontem contra omne fas in crimen vocari, vocatur Servator. Durissimum expertem culpæ sine levi etiam conjectura condemnatum impares luere pænas, luit Servator, tamq; forti est animo, ut quæquæ teterrima aggredi hominis causa non pertimescat. Et ea quæ patitur non jam libenter patitur, sed gaudet se illa subire. O! mitissime Servator, heu! quid tam vehementem passionis admovet stimulum? frange avidissimum sustinendi conatum! quid Te impellit quod hominem ruentem in præceps sublevare intendis? An Te formosi pænitet operis? at potens dexteræ tuæ virtus longè formosius condere potest. An uberiorem gloriam accessuram dicis? at Tibimetipsi sufficiens es, nec indiges guttâ cum ipse immensum sis mare. Ecquid jam amabo? Amor Amor ille Me verberavit, ille in cruce suspendit, illius causà quæq; nefanda superavi non quia debui sed quia volui.

Nolite persuasum Vobis haberi A. M. quod dum Christus gratissima factus sit victima, & uberrima suppliciorum seges, ipse aliquando non modò detestabilem maculam, verùm etiam minimam illius censeretur contraxisse umbram. Longè namq; diverso res geritur negotiò, quidquid enim sceleris turpiter admissum, quidquid flagitii malignè patratum, illud admisit, patravit, scelesta mortalium iniquitas. Et sanè tum improbum hominum genus iniquum admisit ne-

ſas, cùm rebellem adverſùs Genitorem ſuum moverat manum, quo enim temporis intervallo ſupremus ille opifex Deus pulcherrimum omnipotentis dexteræ ſuæ opus hominem conſtitiſſe voluit, eodem hic rependendæ immemor gratiæ impudenti contra Authorem ſuum exarſit animo, quo ille ſacerrimæ Divinitatis imagine illuſtrare eum ſtuduit, eodem hic præſtantiſſimum exemplar deturpare & extinguere conabatur, quo ille inviolatum amicitiæ ſervandum obtulerat fædus, eodem hic graves & ſupremæ dignitati infenſas conceperat ſimultates. Hic eſt hic, cujus animus implacabilem feritatem erga authorem fovet, cujus duriſſimum os impias in conſervatorem mittit voces, cujus manus donorum munifico largitori opera injuſtitiæ & flagitia, propinant propinabant. O! quæ nefanda rerum viciſſitudo & dictu difficillima, & auditu horrenda. Itane perfide homo! pronus in ſcelera prolaberis, ut dum Chriſtus acerbiſſimis ſauciatur aculeis, tu in molli deliciarum ſtertas voluptate? dum Chriſtus medius inter homicidas & ſicarios, ſpoliatus veſte collocatur, tu cupiditate æſtuans peccatorum flammâ efferveſcas? dum Chriſtus clavis hinc inde diſtortas affigi ſinit manus, totumq; ſanctiſſimum expandit corpus, tu corde, & animo mundi infixus illecebris hæreas? Dum Chriſtus præ dolore verberum, ignominiâ emoritur, tu præ amore ſcelerum, impudentiâ vivas, vivas imo in occurſum venias O! miſerã Servatoris conditionem, & exinde magis ac magis dolendam, quia pro homine, & ab homine injuſtam. Heu Judices! ſi hoc titulo nominandi, nam quo vos nomine appellare debeam, ignoro plane, Judices à quibus pro tribunali ſedentibus cauſam innocentis Chriſti

ſti

http://rcin.org.pl

sti discuti admiror, vestra per omne nefas decreta & sancita obstupesco! utiq; nostis delicta suos tenere authores, an ideò condemnatis Servatorem, quia innocens, liberatis hominem, quia nocens. Heu carnifices! prendite hominem, profligate, trucidate. Hic est quem criminis arguit turpitudo, scelerum opprimit copia, ipsa justitia clamat condemnandum, Ita sanè ita omnino & non aliter evenire debuerat A. M. si facultas hominis respondendo sufficisset, & bonitas quæ ultrices DEO vincire assueverat manus, deplorandam hominis sortem, in spem non erexisset meliorem. Verùm subito profuso clamore personat justitia. Vides justissime DEUS ab ingrata creatura sacerrima Majestatis tuæ conculcari mandata, conculcantem extingue, vides non jam malitiâ, sed furore incensum hominis animum, qui contra thronum omnipotentiæ tuæ assurgit, assurgentem deprime, vides profligatam ejus audaciam, qui quoties lethali se adstringit reatu, toties suavissimum servitutis tuæ jugum excutere conatur, excutientem extermina. Permitte me fulminis ictibus delere refragantem, delebo, suppliciorum minis opprimere, opprimam, gladio acerbitatum excruciare, excruciabo. Si annuis tuã gloriam sceleribus deturpatã vindicabo, suscitabo tonitrua, ulciscar, feriam, occidam. Illius illius sævientis experiatur justitiam, cujus indulgentis misericordiam contempserat. Tam severè discurrenti Justitiæ interrumpit verba, ac Æternum Patrem blanda voce implorat misericordia. Ignosce! Ignosce! fragilitati in audendo, infirmitati naturæ hominis in peccando, Egone tam abjecta filiarum tuarum persistam, ut nec minimum votis meis indulgeas? præceperas me latentem manere, dum rebellium

ſpirituum ſtricto vindictæ acinace expiabas culpam, conceſſiſti ſeverum juſtitiæ ſuper illis uſum, aut hodie experiri me ſinas, aut omni ſecutura æternitate prohibeas. Equidem ſi homo æternis addicitur ignibus, quem pietate complecteris? quem clementia conſervabis. Age igitur & noli tardare, ingenitum enim eſt Tibi benefacere, violentum punire in illud propendes in iſtud cogeris, potes judicem aſſumere, Parentem exuere non potes. Hæc ubi ad ſolium ſapientiæ (quæ Verbum Æternum creditur) pervenerant, mox Illa ſanctiſſimô intra ſe reputans conſiliô in ea prorumpit verba. Pater Æterne, partis utriuſq; preces juſtæ, juſta utriuſq; poſtulata ſunt, debet in homine cruciari ſcelus, ne impune exiguum agnoſcatur, nequit viliſſimi hominis nece mulctari, ne ſic mulctatum condigne mulctatum cenſeatur. Homo quia reus, meritò puniri debet, homo quia pænâ inſufficiens ſublevari debet. Homo ſuperbè elatus deliquerat, juſtum ut in nihilum depreſſus exſolvat, homo ad ima depreſſis ſolvendo impar æquum ut mutuô adjuvetur auxiliô. Quare clementiæ Pater ut tuæ dignitatis honor illæſus permaneat, & homo æternis reorum non mancipetur ſuppliciis, ecce me paratum habes. Aſſumam hominis carnem, & ejus vilitatem dignitate mea extollam, hinc perſonam mei naturæ hominis adeò ſtrictô conjungam vinculò, ùt *ſicut anima & corpus unus eſt homo ita Deus & homo unus ſit Chriſtus.* Dictum factum AA. quod favente conſilio aliquando promiſerat, id conſummato tempore uberrimo beneficiò explevit, qui erat ab æterno Patris Filius ſine Matre, ille extitit in tempore Filius Matris ſine Patre. Et qui inter Patrem & Spiritum Sanctum medium tenet, is inter DEUM & hominem mediatorem agit. Tulit

deli-

http://rcin.org.pl

delicta nostra, & iniquitatatem nostram portavit, sanctus pro impio, purus atq; integer criminis pro nefario ac scelesto perpessus, occisus. Sicq; suo sanguine, sua cruce, morte sua, vitam, gloriam, Patriam restituit ampliavit.

O! nimis felicem, nimis beatam sortem nostram AA. qui eum nacti sumus Servatorem cujus vita sanctitatis plena, nec se cujuspiam maculæ turpitudine inquinârat, nec inquinare poterat. Nacti sumus illi, quorum in offendendo temeritas, in peccando audacia nimium deploranda, nunquam tamen satis inferni acerbissimis suppliciis eluenda fuerat. Ipse tamen non futura accessione gloriæ, non alia quapiam inevitabili necessitate compulsus, sed tenerrimo percitus amore, purissimum proscindi corpus, dignitatem proculcari permisit. O! fortem & suavem omnipotentis DEI in gubernando providentiam, cujus infinita sapientia & justitiæ offensæ suam integritatem, & bonitatis exorantis sua trophæa nobis colenda veneranda relinquis. Tibi igitur o! dulcis Servator noster quod Te in opprobrium sponte obtuleris, & in tempore iracundiæ factus sis reconciliatio, istud exintegro æternèq; dicamus, quod Tibi charissimum nobis pretiosissimum est. En reddimus Tibi vitam nostram tua morte, salutem nostram tui damnatu comparatam reddimus. Cum autem AA. etiamsi omnia fecerimus, servi in utiles sumus, restat ut cum beneficiis exæquo respondere non valemus, nos respondere non posse fateamur, fatentes amemus Jesum quia nos ipse prius amavit, justissimū enim est, ut is diligatur vitâ totâ, qui nos dilexit ad mortem mortem autem crucis. Et quem pænam peccati solventem per crucem conspicimus cum dolore ac lacrymis, Eundem in Cælis triumphantem, & omnem ab oculis nostris lacrymam abstergentem intuebimur. Dixi.

http://rcin.org.pl

PERMISSU
MAGNIFICI DOMINI
RECTORIS.

Ze zbiorów Fundacji im. J. J. Michalskich
http://rcin.org.pl
XVIII.2.1060
1794

http://rcin.org.pl

XVIII.2.1060

http://rcin.org.pl